



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. De requisitis ad licitam Sacramenti administrationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

tale, nisi habeat saltem attritionem ex dictis n. 258. Fit 2. esse peccatum mortale per se loquendo, accedere ad Sacramenta vivorum cum conscientia peccati mortalis. Fit 3. cum Eximio Doctore, illum, qui probabili fide, & ignorantia putaret, sufficere ad dignam Eucharistiae sumptionem attritionem cognitam, & sic accederet, consecraturam primam gratiam per hoc Sacramentum. Ratio est, quia illa ignorantia excusaret à peccato, & simul cum attritione non haberet obicem ad gratiam Sacramenti, cumque Sacramentum conferat gratiam subiecto disposito, sive obicem non ponenti, homo in eo casu dispositus reciperet gratiam.

297. Fit 4. Sacramenta vivorum dici non posse Grammaticaliter Sacramenta mortuorum. Ratio est, quia, quod Sacramenta sint vivorum, vel mortuorum, non est denominatio desumpta à sensu Grammaticali, sed à sensu Theologico. Fit 5. attritionem generalem esse votum omnium Sacramentorum, ad quae quis obligatur; sic cum Sacramento Poenitentiae sufficit attritio ad consequendam primam gratiam, quae sine voto Eucharistiae obtineri non potest ex Catechismo Tridentini citato num. 282. ac proinde talis attritio est votum illius Sacramenti, quando obligat ex dictis num. 268.

SECTIO III.

De requisitis ad licitam Sacramenti administrationem.

298. Plures opiniones leguntur apud Auctores circa administrationem Sacramentorum, quae ad praxin jam deduci non possunt post 65. propositiones ab Innocentio XI. damnatas 3. Martii 1679. non paucae ex illis pertinent ad peculiare Theologiae Tractatus, quas suo loco explicabimus. Duae autem sunt, quae spectant ad Tractatum de Sacramentis in genere, quas hic pro munere tenemur exponere, ne illicitè, & invalidè Sacramenta ministrentur. Una ex illis est ordine prima, quae sic habet: non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi vetet id lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabilis tantum mendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Altera est vigesima nona, quam explicabimus, postquam his tribus Sectionibus istam primam propositionem exposuerimus. Pro majori claritate

299. Suppono 1. Non esse idem opinionem tutiorem, & probabiliorem; quandoque enim opinio probabilior est minus tuta, simulque praescribit, & asserit valorem Sacramenti; opinio autem minus probabilis est magis tuta, & negat valorem Sacramenti; unde ex vi decreti, & in illius sensu tenemur omittere opinionem probabiliorem circa valorem Sacramenti, quando minus

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

probabilis est tutior; opinio autem tutior dicitur illa, quae non exponit Sacramentum frustrationi, cum probabiliter asserit, Sacramentum non esse validum: minus tuta dicitur illa, quae exponit Sacramentum frustrationi, dum probabiliter asserit validum esse tale Sacramentum. Quapropter opinio tutior non est, quae formaliter respicit praxin, sed à cuius veritate praxis dependet.

Suppono 2. Prædictam damnationem non 300. extendi ad usum urgentissimae necessitatis, in quo ex charitatis praepro tenemur succurrere proximo meliori modo, quo possimus, neque potest opinio tutior ad praxin deduci, tunc tenemur uti minus tuta sub conditione ex dictis n. 72. & 252. v. g. si infans est moribundus, nec inveniatur aqua naturalis, bene verò lixivium, debet baptizari in lixivio sub conditione, ut si fortè sit materia Sacramenti, possit consequi vitam aeternam. Ratio est, quia ita colligitur ex illis verbis damnatae propositionis relicta tutiore; in illo enim casu urgentis necessitatis, cum impossibile sit eligi tutiorem, quae est de Baptismo cum aqua naturali, non relinquatur tutior: solum enim dicimur relinquere, quae poteramus adhibere, neque in illo casu sit ulla irreverentia Sacramento, cum ipsa urgens necessitas praeferat jus ad administrandum sub conditione, & ubi datur jus ad ita administrandum, irreverentia deficit: sic loqui Sacerdotem in Ecclesia intra divina officia irreverentia est, si tamen necessitas urgeat, ut postulet aliquid necessarium ad Sacrificium, omnino cessat irreverentia.

Suppono 3. Non contineri sub damnatione 301. illius propositionis electionem opinionis minus tuta, quae non versatur circa valorem Sacramenti, sed solum circa modum illud administrandi: unde si Laicus conferret Baptismum in necessitate ductus opinione Scriptorum, & aliorum tradita num. 141. quae asserit, illum licet posse baptizare, licet sit in statu peccati mortalis, quamvis ea opinio esset minus probabilis, & minus tuta, non ideo esset contra prædictam damnationem illam ad praxin deducere. Suppono 4. Opiniones probabiles alias esse probabiles practice, quae hic, & nunc deduci possunt ad praxin; alias probabiles solum speculative, quae, licet fortasse sint verae, hic, & nunc deduci non possunt ad praxin, vel quia minus tuta, vel quia prohibita, vel ex alio capite. Suppono 5. Propositiones aliquas dici damnatas formaliter, quia damnantur expresse, ut extant; alias verò dici damnatas virtualiter, quia, licet formaliter non damnentur, ut extant, attamen ex falsitate propositionis damnatae inferuntur legitime aliarum falsitas. His positis

Assero 1. Sub damnatione huius primae propositionis continetur ea opinio, quae extra casum necessitatis exponit frustrationi Sacramentum. Probatur 1. Idem est dicere, non posse nos extra casum necessitatis, ut monui n. 300. P p p uti

uti opinione minus tuta circa valorem Sacramenti, ac dicere, nos uti debere tuta in ordine ad valorem, quando conficimus Sacramentum; sed exinde debemus uti opinione, qua non frustratur Sacramentum extra casum necessitatis; ergo &c. Confirmatur. Ex frustratione Sacramenti extra casum necessitatis sequitur, Fideles defraudari fructu Sacramenti, ad quem jus habent ex Christi ordinatione; sed illicitum est, eo fructu Fideles defraudari ratione opinionis minus tuta, cum illicitum sit ex vi hujus damnationis, uti opinione minus tuta in ordine ad valorem, quo ablato non possit Sacramenti fructum requirere; ergo ex posita damnatione damnata manet quævis talis opinio minus tuta; sed talis est, quæcunque exponit frustrationi Sacramentum extra casum necessitatis; ergo &c.

303. Respondeo 2. adducendo simul rationem, quam referat Doct. Eximius, ex qua apparet ista damnatio hujus propositionis: sic enim arguit: qui conficit Sacramentum ductus opinione probabilis relicta tutiore, operatur contra reverentiam Sacramento debitam, & mortaliter peccat; sed illicitum est ita operari; ergo illicitum est extra casum necessitatis operari cum periculo frustrandi Sacramentum, ac proinde quævis opinio, quæ illud consuleret, sub hac damnatione comprehenderetur. Prob. maj. Qui absque necessitate se exponit periculo conficiendi Sacramentum irritum, mortaliter peccat contra reverentiam Sacramento debitam, atqui utens opinione probabilis relicta tutiore absque necessitate in nostro casu ita se gerit; ergo &c. Probat. maj. In moralibus perinde est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi; sed apud Adversarios est peccatum mortale contra reverentiam Sacramento debitam, facere absque necessitate Sacramentum irritum; ergo & se exponere. Confirmatur. Ex tenore damnationis saltem esset peccatum ita operari, quatenus se exponit periculo defraudandi suscipientem fructu, ad quem jus habet ex institutione: ergo eo ipso est peccatum contra reverentiam debitam institutioni, ac proinde debitam Sacramento.

304. Respondebis cum aliquibus Recentioribus, ex tenore damnationis nullatenus inferri, peccare mortaliter utentem in conferendis Sacramentis opinione probabilis relicta tutiore; tum quia *ly tantum* propositionis damnata posita inter probabilis, & utendum dubium est, an cadat supra probabilis, an supra utendum; tum, quia ille, qui probabiliter operatur, prudenter operatur, & qui operatur prudenter, graviter non peccat; solum ergo peccabit venialiter non operando tutiori modo; cum autem operari venialiter sit illicitum, operari eo modo illicitum est, neque aliud docemur ex vi propositionis damnata, ut ex illius verbis apparet. Quapropter cum damnationes sint odiosæ, restringendæ sunt juxta tritam illam regulam Juris: *odiosa sunt restringenda*, atque proinde nullate-

nus deducitur ex illa damnatione peccatum graviter, qui conferens Sacramenta utatur opinione probabilis relicta tutiori. Hæc responsio multa continet, quæ non solum displicent, sed quæ neque mihi præferuntur vel umbram probabilitatis: imò immutat sensum absolutum, & præcipuum propositionis, supra quodcunque cadat *ly tantum*. Quapropter

Contra 1. qui imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam, graviter peccat, ut notum est apud omnes: atqui utens opinione probabilis in conferendis Sacramentis, relicta tutiore, imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam; ergo graviter peccat. Probat. min. periculum frustrandi Sacramentum est res gravis, & insuper operari cum eo periculo frustrationis prohibuitur ab Innocentio XI. præcepto obstringente conscientiam, ut constat ex tenore decreti, in quo prohibitio proponitur sub pena excommunicationis lata sententia, in virtute S. Obedientia, & sub interminatione divini judicii, quæ evidenter inducunt obligationem conscientia; atqui conscientiam Sacramenta, eatenus in re gravi obstringente conscientiam operatur illicitè cum periculo frustrandi valorem Sacramentorum, quatenus utitur opinione probabilis relicta tutiore; ergo utens opinione probabilis in conferendis Sacramentis, relicta tutiore, imprudenter operatur in re gravi obstringente conscientiam.

Cont. 2. Si conferens Sacramenta operatur prudenter ductus opinione probabilis relicta tutiore, non peccaret ullo modo, neque mortaliter, neque venialiter, atque adeò licitè operaretur, ut defendebant olim Medina, & Alanus ante istam pontificiam condemnationem; atqui post Pontificiam condemnationem certum omnino est, ut fatentur Adversarii, illum operari illicitè, ergo non operatur prudenter, ac proinde ex capite operandi prudenter nequit excusari a culpa lethali.

Cont. 3. Damnatio hujus propositionis non est odiosa, sed favorabilis; ergo peccatum restringitur ex illa regula juris ab Adversariis. Probat. antec. ex damnatione hujus propositionis docemur, quomodo debeamus nos gerere ad utilitatem nostram in consecratione Sacramentorum, ita ut ex vi propositionis non habeatur, sed declaratur, & stabiliat uti debet, illa enim propositio non est pernicioiosa in praxi, quia prohibetur, sed potius prohibetur, quia in praxi est pernicioiosa, ut constat ex tenore decreti dicentis. Idem Sanctissimus Dominus noster re postea maturè considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohibendas sicut eas damnat, & prohibet; atqui declaratio propositionis conducens ad utilitatem nostram non est odiosa, sed favorabilis; ergo &c.

308. **Affero 2.** Licet non damnetur expresse, & formaliter, illicitum esse suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore, damnetur tamen virtualiter. Probatur 1. propositio virtualiter damnata est illa, quæ licet formaliter, & expresse non contineatur in damnatione, nihilominus ejus falsitas legitime inferitur ex falsitate propositionis damnatæ, ut constat ex num. 301. atqui licet non contineatur formaliter, & expresse in hac prima propositione damnata, illicitum esse suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore, cum damnata propositio loquatur de conferente, & non de suscipiente; attamen ex falsitate propositionis damnatæ inferitur legitime falsitas hujus propositionis: *licitum est suscipienti uti opinione probabili quo ad valorem Sacramenti, relicta tutiore*; ergo &c. Probatur min. in propositione damnata tota damnationis ratio stat in eo, quod dicatur licitum, exponere absque urgente necessitate frustrationi Sacramentum; sed hæc ratio æque militat in suscipiente, & conferente, si eadem opinione utantur; ergo &c.

309. **Respondet** ex supra citatis recentioribus non militare eandem rationem, quia conferens Sacramenta non potest cedere securitati, & fructui Sacramenti, cum Sacramentum non sit institutum ad fructum conficiens sed ad fructum suscipientis; suscipiens verò ob hanc rationem potius, quam conficiens potest cedere, ut patet in elicientia doloris requisiti ad Sacramentum penitentiae, quem potest elicere, vel attritionis, vel contritionis, ante vel post confessionem pro libito suo. **Contra tamen 1.** non potest fidelis velle licite suscipere Sacramentum, & simul nolle illud modo, quo Christus instituit: hoc enim ut per se patet, gravissimum peccatum esset; atqui Christus Dominus ita instituit Sacramentum, ut nullam reliquerit fidelibus facultatem ad licitè renunciandum, vel non renunciandum fructui Sacramenti; ergo &c. Probatur min. suscipiens Sacramenta non potest pro libito suo licitè renunciare gratiæ, quam ex opere operato Sacramenta conferunt; imò si non adhibeat requisita ad participandum fructum Sacramenti, peccat contra Christi institutionem applicantem Sacramenta ad modum causæ necessariæ, ut communicent fidelibus fructum suæ passionis; ergo &c.

310. **Contra 2.** Et simul ostenditur ea maxima æquivocatio, qua Adversarii laborant: licet quando fidelis non tenetur ad Sacramentum suscipiendum, v. g. Eucharistiam, possit licitè non suscipere, sicque se privaret fructu, quem acquirere posset per Eucharistiæ Sacramentum; attamen si velit Eucharistiam suscipere, non potest velle suscipere illam contra Christi institutionem, sicque velle non potest renunciare gratiæ, quam ex opere operato Eucharistia confert; ideòque, ut alia omittant,

valor Sacramenti distinguitur à valore temporali humano, qui solum fit volenti acceptare; & ab utilitate accepta, quam suscipiens potest applicare huic, vel alteri; gratiam autem per Sacramentum acceptam non potest suscipiens alteri applicare pro libito suo; ergo non potest licitè fidelis velle suscipere Sacramentum, simulque velle uti jure ad cedendum fructui Sacramenti.

Contra 3. Licet Minister Sacramenti, qui hic & nunc non tenetur conficere Sacramentum, possit licitè illud non conficere, licet fidelis privetur fructu Sacramenti, quod volebat recipere; attamen non potest hic & nunc velle conficere Sacramentum, simulque nolle, quod conferatur fructus, quem confert Sacramentum, quin talis volitio injuriosa sit Christi institutioni; ergo licet fidelis non teneatur hic & nunc recipere Sacramentum, & sic privetur fructu Sacramenti; non tamen potest velle hic & nunc recipere Sacramentum, simulque nolle, quod ipsi conferatur fructus Sacramenti, quin talis volitio injuriosa sit Christi institutioni. **Contra 4.** quia ut constat ex dictis, & constabit ex dicendis, non potest fidelis velle Sacramentum penitentiae, simulque nolle dolorem certò sufficientem ad valorem Sacramenti; ergo exemplum Adversariorum in responsione adductum est extra rem præsentem.

Probatur 2. Conclusio præcipue ad homines contra supra citatos recentiores: non solum est peccatum mortale uti opinione probabili in ordine ad valorem, in consecratione Sacramenti Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, relicta tutiore, sed etiam est peccatum mortale, uti ea opinione in susceptione illorum Sacramentorum, ut in suis scriptis Adversarii fatentur; ergo non solum est illicitum, uti ea opinione in consecratione aliorum Sacramentorum, sed etiam in illorum susceptione. Probatur conseq. nullus gravior, & deformior effectus excogitari potest, quam deformitas in periculo frustrandi Sacramentum; sed tali deformitati, & periculo non solum se exponeret conficiens, sed etiam suscipiens Sacramentum, si tali uteretur opinione; ergo &c. ex quo unico fundamento præoccupatæ manent responsiones, quas isti recentiores excogitarant, & exceptiones, quæ non ita regularem redderent damnationem. Ex dictis,

Fit 1. Circa Sacramentum Baptismi manere extra casum necessitatis damnatas in praxi illas omnes sententias, contententes valide administrare in aqua, quæ non certò constat esse naturalem, v. g. in aqua ex sale resoluta, ex herbis expressa, in lixivio, in jusculo cocto, & sic de aliis; tum sententias contententes sufficere pro forma verba, quæ certò non constat esse sufficientia, v. g. baptizetur Petrus à DEO in nomine Patris &c. ego te baptizo in nomine Christi, vel in nomine genitoris geniti, & procedentis ab utroque, cum tutiores sint sententiæ oppositæ, & verferuntur

311.

312.

313.



circa valorem. Pariter respectivè ad subiectum Baptismi manent ob eandem rationem damnatæ extra casum necessitatis opiniones illorum, qui contendunt, validum esse Baptismum factum in infantis pelle secundina circumdati capillis, digito, aut alia parte Corporis minima.

314. Fit 2. Circa Sacramentum Confirmationis, non licere extra casum necessitatis illud ministrare solo oleo Olivarum ab Episcopo benedicto, cum tutior sit sententia docens, materiam remotam hujus Sacramenti esse chrisma necessariò compositum ex oleo Olivarum, & Ballamo ab Episcopo benedictum. Fit 3. Circa Sacramentum Evcharistiæ, non licere conficere Evcharistiam in pura avena, amilo, quamvis aliqui doceant hæc non differre specie à tritico; ob eandem rationem non licet illam conficere in vino congelato, neque proferendo ea sola verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*: nam plures cum D. Thom. docent reliqua omnia verba esse essentialia, & aliunde ista est sententia tutior; verum quidem est, auctores docentes formam essentialem consistere in 5. illis verbis prioribus, simul addere esse peccatum mortale reliqua omittere, propter perpetuam consuetudinem, & traditionem Ecclesiæ de obligatione proferendi reliqua omnia verba in Calicis consecratione; modò autem ex vi damnationis hujus primæ propositionis constat, illicitum etiam esse ob periculum frustrandi Sacramentum.

315. Fit 4. Circa Sacramentum poenitentiae illicitum esse uti opinione probabilis relicta tutiore in ordine ad valorem Sacramenti; ac proinde cum ab auctoribus assignentur actus poenitentis, qui certò sunt sufficientes ad valorem Sacramenti, & alii, qui solum probabiliter sufficientes sunt: tum etiam verba, quæ solum sunt sufficientia probabiliter ad absolutionem, & alia, quæ certò sufficientia sunt. Denique jurisdictio certò sufficiens; & alia solum probabiliter sufficiens, ut detur valor Sacramenti; in his omnibus, ut ex dictis constat, illicitum est, ex tenore decreti, uti sententia probabilis relicta tutiore. Scio recentiores aliquos aliter sentire circa jurisdictionem; cæterum si sensus propositionis damnatæ accuratè introspectatur, perperam ipsi tale discrimen assignant, cum damnata propositio generalis sit in ordine ad valorem, & ex defectu jurisdictionis deficiat valor Sacramenti, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 7. dicente: *persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

316. Quando autem ille, qui habet jurisdictionem probabilem, acquirit certam ex circumstantiis, tunc certò potest operari cum ea jurisdictione, v. g. quando intervenit error communis cum titulo putativo à legitimo superiore collato;

vel quando consuetudo certam facit jurisdictionem illi, qui gaudet verè probabili: etenim cum consuetudo habeat vim legis, ea consuetudine quasi lege Ecclesia potens supplere plerumque jurisdictionem. Videatur Cardinas cap. 6. arr. 6. & 10. ex quo valde absolvi potest excommunicatus bona fide accedens in casu urgentissimæ necessitatis, vel in casu quo non est adeo urgens necessitas, quando per ipsum excommunicatum non stat, quo minus absolvetur, & jam satisfecit, vel est omnino impotens satisfacere, idque fieri potest absque scandalo nam in eo casu, inquit Cardinas, habetur ab Ecclesia jurisdictio certa; & pariter, quando delictis absolvetur ab excommunicato tolerato.

Quapropter ex vi presentis damnationis non manent damnatæ illæ sententiæ probabiles, quæ conveniunt in designando ea, quæ certò requiruntur ad valorem Sacramenti, si disconveniant in his, quæ suspensa debet apponere, ut Sacramentum licitè recipiatur, vel Minister, ut licitè conficiatur, ex dicto num. 31. Exinde assignant plures in tract. de poenitentia rationem, ob quam non tenetur quis ad conficiendas circumstantias aggravantes circa eandem speciem, neque ad manifestanda vitiorum ea peccata, quæ manifesta jam fuerant confessione valida, neque ad reperendas confessiones, quæ ex ignorantia, vel inadvertentia invincibili hujus decreti sunt, vel quæ certè decretum sunt factæ sequendo opinionem probabilem minus tutam, de quo dicemus in tract. de poenit.

Fit 5. Circa Sacramentum extremæ unctionis non esse jam sententiam practicè probabilem extra casum necessitatis, posse chrisma esse materiam hujus Sacramenti, cum tutior sit, quæ ex Florentino, & Tridentino affirmat esse oleum ab Episcopo benedictum. Idem esto de sententia affirmante, validum esse istud Sacramentum facta unctione in omni sensu, cum tutior sit, quæ docet, debere ungi organa quinque sensuum. Ex hoc autem non manet damnata sententia docens, posse fieri plures additiones olei non benedicti in exigua quantitate, infundendo scilicet æqualem quantitatem minimæ illi, quæ ex vase pleno olei benedicti extrahitur, licet tandem in totius anni decursu refuleret major pars olei non benedicti; quia quæcumque illa exigua pars addita benedicta manet ex conjunctione cum tota illa materia benedicta procedenti, ut circa dubium Illustrissimi Archiepiscopi Hispalensis declaravit Romæ 29. Sept. 1682. generalis congregatio Sancti officii habita in conventu S. MARIE super Minervam.

Fit 6. Circa Sacramentum Ordinis non manere practicè probabiles illas sententiæ quæ excludunt à materia consecrationis Episcopalis aliquas actiones, quæ ex aliis sententiis probabilibus necessariæ sunt ad valorem. Vari-

tatem sententiarum circa præsentem contro-
versiam invenies apud Dianam p. 12. tract. 1.
resolutione 12. Pariet non manet practicè proba-
bilis sententia docens non requiri in ordine
sacro tactum physicum materiæ remotæ, sed
sufficere tactum moralem. Exinde autem
damnata non manet sententia docens valere
consecrationem Episcopi factam ab uho duntaxat
Episcopo ex dispensatione Romani Pon-
tificis: nam talis opinio ex praxi primorum
Pontificum certa habetur, eamque ad praxin
reduxere Gregor. Magnus, Greg. III. Pius V.
& tandem roboravit Alexander VII. Neque
damnata manet sententia docens cum Grana-
do, non debere iterari Diaconatum, Subdia-
conatû, aut minores ordines juxta probabilem
opinionem collatos, etsi peccaverit, qui ita
suscepit; debere tamen iterari sub conditione
Presbyteratum collatum opinionè minùs tuta
adobvianda inconvenientiâ; quæ ex defectu
valoris talis Sacramenti subsequenter in Pres-
bytero, & non in aliis.

320. **Fit 7.** Circa Sacramentum matrimonii, illi-
citur esse contrahere matrimonium cum opi-
nionè tantùm probabili de valore, relicta tu-
tore; neque sufficere, quòd detur purè proba-
bilis de carentia impedimenti dirimentis in
quæstione facti, quando datur probabilitas de
impedimento. Rem enim ita existerè, vel
non existerè, non desumitur à probabilitate, aut
ignorantia invincibili, sed ab existentia rei,
vel non existentia. Undè si Petrus eliciens ac-
tum affirmativum illius rei, elicit actum ve-
rum, Petrus eliciens actum purè affirmativum
eiusdem rei, elicit pariter actum verum. In
quæstione autem juris facultas, ut aliquis op-
pus inculpabiliter faciat, desumitur à iudicio
prudenti; cum autem unus possit habere iudi-
cium prudens de eo, quòd hæc res sibi liceat,
& alter, quòd non liceat, si ambo eandem
rem facerent, unus peccaret, & alter non
peccaret. Undè in quæstione facti requiritur
certitudo facti, modo, quo dicemus esse in pra-
xi Ecclesiæ obligare conjuges, ut stent valori
contractûs à num. 322.

321. Ex his docent plures, valorem matrimonii
fieri omnino certum ex variis capitibus,
quando adest vera probabilitas juris circa ta-
lem valorem in his, quæ pendunt à iurè hu-
mano Ecclesiastico, cum id persuadeat Eccle-
siastica consuetudo approbans matrimonia facta
cum opinionè probabili de carentia impe-
dimenti dirimentis contra aliam sententiã pro-
babilem de impedimento, ut constat ex defi-
nitionibus sacre Rotæ respectu merus reveren-
tialis, Parochi invitè assistentis, testis non spe-
cialiter interrogati, & sic de aliis. Videbis a-
pud Cardinas cap. 8. art. 4. in quo invenies
roborationem ex Urbano VIII. & quia causã
matrimonialis apud Sacros Canones est favo-
rabilia. Etenim licet Ecclesia possit in his im-
pedimentis dispensare, ut matrimonia fiant,
non tamen declarare, quòd jam facta essent

valida, nisi verum esset, quòd non adfit im-
pedimentum ab Ecclesia positum, quando ex
opinionè verè probabili fit ille contractus; vel
quòd in eo casu verè manet ab Ecclesia dispen-
satum impedimentum ad contrahendum vali-
dè matrimonium.

322. Circa impedimenta verò in quæstione juris
divini aut naturalis, ex communi Theologo-
rum, & jurisprudentum doctrina infert art.
10. citatus Cardinas, certum esse, habere Ec-
clesiam potestatem in dubio speculativo in-
vincibili ad decernendum validum esse matri-
monium; tum ratione talis dubitationis, tum
ratione opinionis verè probabilis. Ratio fun-
damentalis est, quia sicut contractus similes
continentur intra Sphæram jurisdictionis rei-
publicæ sæcularis, ita contractus matrimo-
niales continentur intra sphæram reipublicæ
Ecclesiasticæ; atque in casu dubii invincibili
aut opinionis verè probabilis, quando datur
dubium positivum ortum ex varietate opinio-
num verè probabilium, illudque speculativum,
& invincibile, per quòd dubitatur, an actio sit
licita an illicita, etiam si dubitatio procedat de
iure naturali, dum materia contenta sit intra
sphæram suæ jurisdictionis, habet reipublicæ
sæcularis potestatem ad decernendum valo-
rem contractûs, sive quòd idem est, ad obliga-
tionem imponendam utrique contrahenti
standi contractui; ergo eandem potestatem
habet Ecclesia respectu contractûs matrimo-
nialis, cum sit materia intra sphæram suam
contenta.

323. Quod quidem ex eo certius apparet, quare-
nus consuetudine rationabili præscriptum est,
decidere dubia, & lites de valore matrimo-
nii in Ecclesia juxta opinionem verè probabi-
les, & receptas. Sicque decidit Urbanus VIII.
in consultatione circa matrimonia infidelium,
qui conversi ad fidem baptizantur; proposito
dubio circa impedimenta iure divino naturali
inducta, nempe an matrimonia eorum infi-
delium essent valida, an invalida; an possent
accipere quemlibet ex pluribus uxorem ex
Baptizatis cum ipso, an primam? & tamen
Urbanus respondit teste Cardinas, matrimo-
nia contrahenda regulariter debere per opi-
niones verè probabiles, favorabiles eis bar-
baris. Unde talis opinio verè probabilis, cum
illis circumstantiis manet certa, sicque opi-
nio verè probabilis, ut superior præcipiat ex
iure Superioris, manet certa ad præcipiendum,
& in subdito manet certum debitum, ut obe-
diat, ac proinde certè potest Ecclesia tales con-
troverfias decidere. Huc spectat, quòd dixe-
rat August. lib. 23. contra Faustum cap. 75.
& refertur cap. qui culpatur 23. quæst. 1. ubi
docet, debere subditum obedire, quando non
est certum id, quòd præcipitur, esse pecca-
tum: Sic enim ait: *Cum ergo vir justus, si forte
sub Rege Domino sacrilego militet, rectè possit
illo iubente bellare, civica pacis ordinem servans,
cui quòd iubetur, vel non esse contra DEI præ-*

praeceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.

324. Quò respexere S. Bernardus de praecepto, & dispensatione cap. 12. super illa verba regulæ S. Benedicti: Obedientia, quæ majoribus præbetur, DEO exhibetur, ita differens: *quamobrem quidquid vice DES præcipit homo, quod non sit tamen certum, displicere DEO, aut secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat DEUS.* Et infra: *ipsum proinde, quem pro DEO habemus, tanquam DEUM in his, quæ aperte non sunt contra DEUM, audire debemus.* Et S. Patriarcha noster Ignatius in Epist. de obedientia, & in constitutionibus eadem sæpe repetens. Idipsum confirmat eximius Doctor secunda secundæ tract. 2. disp. 13. de Bello sect. 6. quia in illis circumstantiis tutius est obedire, & in dubiis tutior pars est eligenda; quapropter cum non teneatur subditus obedire, nisi certa sit potestas in superiore ad imperandum, in illis circumstantiis certa est superioris potestas, ac proinde, & potestas Ecclesiæ ad decidendos casus matrimoniales in quæst. juris, sive divini, sive naturalis.

325. Propter eandem rationem, & Ecclesiæ consuetudinem manet in Episcopis certa potestas ad dispensandum in casu necessitatis in impedimento dirimente. Tum etiam matrimonium contractum coram Parocho, & testibus, si inveniatur esse nullum propter impedimentum dirimens omnino occultum, & sine periculo publicitatis, potest revalidari solo mutuo consensu, & sine Parocho, & testibus, ut apud Paulum Leonem constat in praxi ad literas majoris penitentiarie. Cæterum extra casum necessitatis revalidari sic non potest; quòd si alter conjux sit inscius nullitatis, cognitio enim nullitatis sufficit in communi, si alter conjux dicat: volo ex nunc, si non consisteret inter nos matrimonium, de nunc contrahere; altero respondente: *Volo*, manet verus contractus; vide alios multos satis expeditos contrahendi modos apud Thomam Sanchez; nunc autem debemus dissolvere fundamenta Adversariorum, quæ multa sunt, pro quibus sic

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

326. **O**bjicies 1. Contra 1. assert: ex recentioribus: damnatio hujus propositionis est odiosa, ac proinde explicatio illius restringi debet; sed ex eo quod restringi debeat explicatio, male extenditur à nobis ad omnes illas opiniones probabiles assignatas circa materias, & formas singulorum Sacramentorum; ergo &c. Probatur maj. non minus est de essentia legis, tendere ad bonum illorum, quos obligat,

ut docent Juristæ, & Theologi videndi apud eximium Doctor lib. 5. de legibus. cap. 2. quàm sit de natura hujus damnationis tendere ad bonum fidelium, sed quamvis lex tendat ad bonum, debet interpretari strictè tanquam odiosa, ut Theologi, & Juristæ docent, videndi apud Franciscum de Sandjal. lib. 1. sectarum cap. 12. ergo &c. Confirmatur. Lex non dicitur odiosa, quia legislator odio prosequatur subditos per legem, sed quia lex tantum affert subditis, & molestiam, ut explicat Barbosa de axiomatibus juris ubi frequentioribus Axiomate 166. sed idem assert prædicta damnatio respectu propositionum, quas prohibet; ergo &c.

Resp. N. maj. ad prob. dist. maj. non minus & eodem modo, nego, diverso modo, con. maj. & dist. min. nego consequ. Ratio discriminis est, quia damnatio hujus propositionis non solum tendit ad bonum commune Ecclesiæ, sed etiam ad bonum uniuscujusque particulare, ut constat à num. 305. & tunc interpretari debet ut favorabilis; lex autem civilis aut Ecclesiastica poenalis aut onerosa licet tendat ad bonum commune, non ita tendit ad bonum particulare, & ex hoc cap. restringitur ejus interpretatio à Doctoribus; quod satis indicavit idem sapienter in ipso textu adducto contra nos, qui ita habet: *Quia ut inquit Isidorus, lex est velo privata commoda, sed pro communi utilitate omnium conscripta, & licet alius humani sint in particularibus, tamen illa particularia referri possunt ad bonum commune, non quidem communitate generis, vel speciei, sed communitate cause finalis.* In nostro autem casu aliter res se habet, cum evidenter tendat in bonum cujuscunque individui, quo in casu omnes conveniunt interpretandam ut favorabilem.

Non ita contingit in fundamento, quod affumunt tanquam certum Adversarii, cum plures, & quidem gravissimi Doctores doceant, adhuc ipsam legem interpretandam ut favorabilem, quando extensio fit in favorem Republicæ, sic Bartolus in lege dicit, *quod licet lex poenalis, & odiosa extra proprium significatum nullatenus extendatur, ut in regala: ubi sunt restringenda; tamen ubi extensio tendit in favorem rei publicæ, ita ipsam debemus extendere, sicut legem favorabilem; ex qua doctrina gravissimi Doctores judicant dispositionem Cap. si quis suadente, esse favorabilem, & extendendam. Videant Adversarii, quam debile sit contra nos illorum fundamentum. Hinc ad Confirmationem dist. maj. rædum, & molestiam redundantem in bonum particulare, nego in bonum commune, transeat malum & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex dictis.*

Objicies 2. Sæpe potest Minister extra casum necessitatis uti opinione probabili circa valorem alicujus Sacramenti, per quem expolatur Sacramentum frustrationi; ergo non est illius